

CAPUT XIII.

Bestia, qua septem habet capita, & cornua decem, adoratur ab hominibus.

1. **ET** vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiarum.

2. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes ursi, & os eius sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam.

3. Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est. Et admirata est univérſa terra post bestiam.

4. Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiarum: & adoraverunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiarum? & quis poterit pugnare cum ea?

5. Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias: & data est ei potestas facere menses quadraginta duos.

6. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in celo habitant.

7. Et est datum illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem,

8. & adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.

9. Si quis habet aurem, audiat.

10. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: * qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia, & fides Sanctorum.

11. Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut draco.

12. Et potestatem prioris bestiarum omnem faciebat in conspectu eius: & fecit terram, & habitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis.

13. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de celo descendere in terram in conspectu hominum.

14. Et seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiarum, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiarum, quæ habet plagam gladii, & vixit.

15. Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiarum, & ut loquatur imago

* Gen. 9. 6.
Math. 26.
52.

bestiarum: & faciat ut quicumque non adoraverint imaginem bestiarum, occidantur.

16. Et faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.

17. & nequis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiarum, aut numerum nominis eius.

18. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiarum. Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex.

CAPUT XIV.

Agnus in monte Sion, quem sequuntur virgines. Qui bestiam, & imaginem eius adoraverunt, cruciantur.

1. **ET** vidi: & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.

2. Et audivi vocem de celo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitruum magni: & vocem, quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis.

3. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.

4. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque iterit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno,

5. & in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei.

6. Et vidi alterum Angelum volentem per medium caeli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum:

7. dicens magnâ voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicii eius: & adorare eum, * qui fecit caelum, & terram, mare, & fontes aquarum.

8. Et alius Angelus secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babilon illa magna: quæ à vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes.

9. Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magnâ: Si quis adoraverit

IN FE-
STO SS.
INNOC.

* Psalm.
145. 6.
Act. 14.
14.

* Isai. 41.
9.
Jer. 51. 8.

bestiam, & imaginem eius, & acciperit characterem in fronte sua, aut in manu sua:

10. & hic bibit de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni:

11. & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam, & imaginem eius, & si quis acciperit characterem nominis eius.

12. Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu.

IN MISS. DEFUNCTORUM. 13. Et non audivi vocem de celo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.

14. Et vidi & ecce nubem candidam: & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.

15. Et alius Angelus exivit de templo, clamans voce magnâ ad sedentem super nubem: * Mitte falcem tuam, & metequia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ.

16. Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, & demissa est terra.

17. Et alius Angelus exivit de templo, quod est in celo, habens & ipse falcem acutam.

18. Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem: & clamavit voce magnâ ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ sunt uvæ eius.

19. Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum:

20. & calcatus est lacus extra civitatem, & exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.

CAPUT XV.

Qui vicerunt bestiam, stant super mare vitreum, & canunt canticum Moysi & Agni: tum aperto celo exeunt septem Angeli, quibus dantur septem phiala plena iræ Dei.

1. **ET** vidi aliud signum in celo magnum, & mirabile, Angelos septem, habentes plagas septem novissimas: Quoniam in illis consummata est ira Dei.

2. Et vidi tamquam mare vitreum mistum igne, & eos, qui vicerunt bestiam,

& imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei:

3. & cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum Agni, dicentes: Magna, & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: iustæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.

4. * Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quoniam iudicia tua manifesta sunt.

5. Et post hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in celo:

6. & exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

7. Et unum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum.

8. Et impletum est templum fumo à maiestate Dei, & de virtute eius: & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.

CAPUT XVI.

Effunduntur septem phiala: Beatus qui effudit vestimenta sua.

1. **ET** audivi vocem magnam de templo, dicentem septem Angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram.

2. Et abiit primus, & effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus fævum, & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiarum: & in eos, qui adoraverunt imaginem eius.

3. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tamquam mortui: & omnis anima vivens mortua est in mari.

4. Et tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis.

5. Et audivi Angelum aquarum dicentem: Iustus es Domine qui es, & qui eras sanctus, qui hæc iudicasti:

6. Quia sanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.

7. Et audivi alterum ab altari dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens vera, & iusta iudicia tua.

8. Et

8. Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines, & igni:

9. & æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt penitentiam ut darent illi gloriam.

10. Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiae: & factum est regnum eius tenebrosum, & commanducaverunt linguas suas præ dolore:

11. & blasphemaverunt Deum cæli præ doloribus, & vulneribus suis, & non egerunt penitentiam ex operibus suis.

12. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten: & siccavit aquam eius, ut præpararetur via regibus ab ortu solis.

13. Et vidi de ore draconis, & de ore bestiae, & de ore pseudoprophetae spiritus tres immundos in modum ranarum.

14. Sunt enim spiritus daemoniorum faciētes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

* Ioa. 3. 15. * Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.

Matth. 24. 43. Luc. 12. 39. Supr. 3. 3. 16. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraice Armagedon.

17. Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem, & exivit vox magna de templo à throno, dicens: Factum est.

18. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terramotus factus est magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram: talis terramotus, sic magnus.

19. Et facta est civitas magna in tres partes: & civitates Gentium ceciderunt. Et Babilon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.

20. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi.

21. Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines: & blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta est vehementer.

CAPUT XVII.

Ioannes videt meretricem purpuratam, cuius nomen est Babilon. Angelus illi aperit mysterium mulieris, & bestiae.

1. **E**T venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas,

& locutus est mecum: dicens: Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas,

2. cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius.

3. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiarum, habentem capita septem, & cornua decem.

4. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius:

5. Et in fronte eius nomen scriptum: Mysterium: Babilon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.

6. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. Et miratus sum cum vidissem illam admiratione magna.

7. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestiae, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem.

8. Bestia, quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abyssu, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ à constitutione mundi) videntes bestiam, quæ erat, & non est.

9. Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita: septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt.

10. Quinque ceciderunt, unus est, & alius nondum venit: & cum venerit, oportet illum breve tempus manere.

11. Et bestia, quæ erat, & non est: & ipsa octava est: & de septem est, & in interitum vadit.

12. Et decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt: qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tamquam reges unâ horâ accipient post bestiam.

13. Hi unum consilium habent, & virtutem, & potestatem suam bestiae tradent.

14. Hi cum Agno pugnant, & Agnus vincet illos: quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum, & qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles.

15. Et dixit mihi: Aquæ, quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, & Gentēs, & linguæ.

16. Et decem cornua, quæ vidisti in

* 1. Tim. 6. 15. Inf. 19. 16.

bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.

17. Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum est illi: ut dent regnum suum bestiae donec consummatur verba Dei.

18. Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

CAPUT XVIII.

Roma Ethnica excidium: tum de lapide molari proiecto ab Angelo.

1. **E**T post hæc vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam: & terra illuminata est à gloria eius.

2. Et exclamavit in fortitudine dicens: * Cecidit, cecidit Babilon magna: & facta est habitatio daemoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis:

* Isai. 21. 9. Ier. 51. 8. Supr. 14. 8.

3. Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum eius divites facti sunt.

4. Et audivi aliam vocem de cælo, dicentem: Exite de illa populus meus: ut ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.

5. Quoniam pervenerunt peccata eius usque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius.

6. Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicite duplicia secundum opera eius: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.

7. Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: * Sedeo regina: & vidua non sum: & luctum non videbo.

* Isai. 47. 8.

8. Ided in una die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburentur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.

9. Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendij eius:

10. longè stantes propter timorem tormentorum eius, dicentes: Væ, væ civitas illa magna Babilon, civitas illa fortis: quoniam unâ horâ venit iudicium tuum.

11. Et negotiatores terræ flebunt, & lugēbunt super illam: quoniam merces

eorum nemo emet amplius:

12. merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci, (& omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & aramento, & ferro, & marmore,

13. & cinnamomum) & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & similia, & tritici, & iumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.

14. Et poma desiderij animæ tuæ descēserunt à te, & omnia pingua, & præclara perierunt à te, & amplius illa iam non invēient.

15. Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longè stabunt propter timorem tormentorum eius, flentes, ac lugētes,

16. & dicentes: Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis:

17. quoniam unâ horâ destituta sunt tantæ divitiæ, & omnis gubernator, & omnis, qui in lacum navigat, & nauta, & qui in mari operantur, longè steterunt,

18. & clamaverunt vidētes locum incendij eius, dicentes: Quæ similis civitati huic magna?

19. Et miserunt pulverem super capita sua, & clamaverunt flētes, & lugētes, dicentes: Væ, væ civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari de pretiis eius: quoniam unâ horâ desolata est.

20. Exulta super eam cælum, & sancti Apostoli, & Propheta: quoniam iudicavit Deus iudicium vestrum de illa.

21. Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babilon civitas illa magna, & ultra iam non invēietur.

22. Et vox citharædorum, & musicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius: & omnis artifex omnis artis non invēietur in te amplius: & vox molæ non audietur in te amplius:

23. & lux lucernæ non lucēbit in te amplius: & vox sponsi, & sponsæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.

24. Et in ea sanguis prophetarum & sanctorum inventus est: & omnium, qui interfecit sunt in terra.